



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. V. De facie Domini lineo panno impressa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

Secundo dicit, se per semetipsum modo non posse venire, quia in loco Hierosolymorum præceptum patris & obedientiam impleturus. Tertio promittit ei salutem in hæc verba: *Cum assumptus fuero, mittam tibi unum ex discipulis meis, qui te curabit ab infirmitate tua.*

CAP. V.

De facie Domini lineo panno impressa.

Dicitur etiam, quod pro desiderio præfati Regis implendo aliquatenus, Dominus faciem suam lineo panno impressit, & misit ad eum, ut qui in propria forma videri non poterat, saltem per impressam imaginem videretur. Tunc ergo *Tattheus* ille discipulus, qui missus est ad *Edeffam* prædictam, ibi dominicam deportare meruit imaginem, quæ per longa ibi tempora perduravit, donec Constantinopolim, cum cæteris reliquiis, est asportata.

CAP. VI.

Dispersio discipulorum Domini.

Lapidato itaque *Stephano* protomartyre, discipuli omnes, exceptis duodecim, disperguntur per universam Iudæam & Samariam; & aliqui eorum usque ad Phanicem, & Cyprum, & Antiochiam devenerunt. Ibi paucis prædicant Iudæis, non audentes se credere Iudæis vel gentibus, *Saulo* tunc temporis vastante ecclesiam,